

*omnibus pars parti sive reddendi sive iurandi securitatem faciat.*

15. – Si quis vero, infra hoc spatium, pignerare praesumpserit, excepto memorato capitulo, causam perdat, et, quod tulerit, restituat.

16. – *Negociis autem inter partes liceat dare quod inter eas convenerit vel invenire potuerint sine aliqua violentia aut contrarietate exceptis ab aliis, ita ut aequa conditio utrarumque partium negotiis, in quibus fuerit, conservetur.*

17. – *De ripatico vero et transituris fluminum stetit, ut secundum antiquam consuetudinem debeamus tollere per portus nostros et flumina et nullum gravamen vel violentiam faciamus. Et si factum fuerit et ad nostram notitiam pervenerit, eis faciamus exinde iustitiam facere. Et homines vestri licentiam habeant per terram ambulandi vel flumina transeundi, ubi voluerint: similiter et homines nostri per mare.*

18. – *Sed et hoc convenit, ut, si qua lesio inter partes evenerit, legatarii non detineantur, sed securi ad propria redeant. Similiter et epistolarii, si detenti fuerint, relaxentur et componantur eis solidi trecenti, et si, quod absit, occisi fuerint, componantur parentibus eorum pro ipsis solidi mille, et ipsa persona tradatur in manibus eorum.*

19. – *Si quis inter partes causas haberit, vadat semel vel bis cum epistula iudicis sui, et, si ei iustitia minime facta fuerit infra dies quatuordecim, si ipse homo, unde iustitia requiritur, infra ipsum locum fuerit, infra dies septem, licentiam habeat pignerare iudicem, qui in ipso tempore ordinatus fuerit, infra casam suam, quantum ipsum debitum fuerit, et ipsum pignus salvum sit usque ad suprannominatas noctes: et si ipsum pignus ante steterit, componantur sol. XII, causa manente, ut in antea et iterum pigneratio non fiat, ubi potuerit, in fines, ubi causa re-*